



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Nonus. Summarium statuum mysticorum secundae partis, seu modi supernaturaliter operandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

ceptionis genus in pauperioribus, quo ita vitæ, sustentationisque commoda subdole venentur, vt plurimum contingere solet. Cuius quidem rei experientiam fateri poterunt, qui etiam nostro sæculo similes mulierculas commodatis rebus, furtiuè, & infalutato hospite (vt dicunt) ac cum præda discedere, non sine proprio rubore, & alieno damno, didicerunt.

Cæterum prudenti, & ordinata discretione adhibita, poterit quilibet iuxta conditionis, & status sui iura, ac patriæ consuetudinem, cum alio sexu de rebus honestis, vtilibus, ac spiritalibus conferre, pro vt expedire videbitur. præsertim si virtusque viuendi ratio, & virtutis, & contemplationis gratia, sit munita: sic enim qui ex aduerso est, nihil habet male dicere de illis, nec iustum scandalum obtrudere; nisi in quantum proprias concupiscentias despumans, alium talenti iudicat, qualem se in brutali appetitu sentit. quæ quidem scandala potius malitiosè accepta, quam verè data illis maneant, seruiantque, qui propria cupiditate subuersi, sibi ipsis in tormentum viuunt; quibusuis autem alijs pro re nata molestiam inferre gestiunt. Virtutis autem & amoris diuini studiosis satis sit, quod sint omnia a munda mundis, conquinatis autem, & infidelibus nihil sit mundum; sed inquinatæ sint eorum, & mens & conscientia. Et hisce quidem de statibus primæ partis breuiter dictis,

vt constet quinam status adhuc supersint, pro conclusione consequenter apponimus,

*Summarium statuum mysticorum secundæ partis, seu modi supernaturaliter operandi.*

## ARTICVLVS NONVS.

**V**T reliquum viæ dilectionis Dei, & modorum perfectius operandi ad intra, illis saltem constet, qui ad status supernaturales non transeunt; breuiter residuos, qui in secunda parte tractantur, hic apponendos iudicauimus. Itaque post statum contemplationis siue affirmatiui, siue negatiui modi, immediatè sequitur status priuationis rigorosæ, in quo amoris rubigo, & imperfectio corrigitur, depuratur, ac paulatim ad modum operandi substantijs separatis conformem, disponitur; Dein ad statum vnionis, præuia infusione gratiæ mysticæ ad modum supernaturaliter operandi suscepta, promouetur. in cuius demum summo, maiora, quæ de vnione mystica passim scripta sunt, per donum supernaturalis sapientiæ, statum transformationis modi descendens, & eo finito, modi ascendens, consequitur: ita vt circa diuinas actiones absque imaginatione, & discursu rationis, ac secundum simplicis intelligentiæ condiciones, procedere valeat: per vicissitudinem status transformationis

tionis vtriusq; modi scilicet tam ascendentis, quam descendens sufficienter (etiamsi vel mille annis quis vixerit) perdonum sapientiae in charitate, seu Dei dilectione, continuo magis, ac magis radicandus, perficiendusque. Quod si postmodum ex diuina ordinatione quisquam particularibus gratijs gratis datis, & eminentiori operandi modo, quam per dona intellectus & sapientiae, dignetur, ad statum Sanctorum viatorum referendus erit: in quo

magis singulari modo, quam ab homine dici possit, per Spiritus Sancti super excedentes inactiones, regetur. finaliter autem in patria Deo miserante visuri Deum sicuti est; alius tamen alio clarius; pro ut per diuinam providentiam unicuique datum fuerit. Nos autem interea ad supernaturales dispositiones, status, & operandi modos, pro ut illos ad praxin per paraphrases exposuimus, transcamus.

## PRIMÆ PARTIS

FINIS.



SECVN-